


V 9
6702





QK 210. 19

Vg
6702

AD
ORATIONES
SYLVERSTAINIANAS

QV A S
MECVM TRES BENEFICENTIAE SYLVERSTAINIANAE
ALVMNI

IO. SAMVEL CONRAD, GORL.
IO. CHRISTIAN FRANCKE, SILES.
GEORGE SIEGEMVND LÜBICH, SILES.

D, XVIII. MAI. MDCC. LXXXI. HOR. IX. MAT,
HABEBVNT,

AVDIENDAS
PATRONOS ET FAVTORES GYMNASII

INVITAT
M. FR. CHR. BAVMEISTERVS, R.



GORLICII,
EX OFFICINA FICKELSCHERERIANA.



17

AD

1791

ORATIONES
SYLVESTERIANAE

MICHAEL THOMAS BENEDICTUS SYLVESTERIANUS

ALUMNI

IOHANNES CONRADUS, Gode

IOHANNES FRANK, Gode

GEORG SEEMANN, Gode

D. THEODORUS GODEFRIDUS, Gode



BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS HANNOVERENSIS

M. FR. CHR. BUCHHEIM, Gode





Oratio,

cum SYLVERSTAINIANAE, tum saeculari me-
moriae formulae concordiae, ante hos ducentos
annos, MDLXXX. publicatae
sacra. (a)

A. O. O. H.



Perlubenter hunc, ad dicendum amplissimum, locum
ascendo, quoties pietatis officique leges mihi im-
ponunt necessitatem, uel eorum, qui quondam de
Gymnasio optime meriti sunt, memoriam reno-
uandi, uel Patronorum ciuiumque, qui etiam nunc litteris littera-
rumque cultoribus consultum cupiunt, merita collaudandi, uel alia
denique oratione solenni in lucem conspectumque proferendi, quae
ad gloriam Dei, ad rei litterariae incrementum, ad Gymnasii decus,
ad iuuentutis utilitatem, ad docentium denique commendationem
ueramque laudem ullo modo pertinere posse uideantur.

Tanto ergo plus gaudii, fateor, adferre mihi memoriae Sylver-
stainianae orationibus anniversariis recolendae consuetudinem, a
maioribus traditam, publicaue receptam auctoritate, quanto in-
signiora sunt beneficia, quibus tantus tamque illustris Maecenas
Gymnasium, dum uixit & post mortem quoque, ornandum collo-
cupletandumque existimauit.

) 2

Periu-

(a) Haec oratio fuit 1780. habita.

Periucunda licet haec sint, plurimumque adferant uoluptatis mihi, gratissimi animi pietatem Manibus Syluerftainianis testificaturo; iucundius tamen est, hac peropportuna oblata occasione, memoriam simul saecularem formulae concordiae, ante hos ducentos concinnatae, & post innumeras diffensiones, post tot impedimenta, tot concertationes publicatae, commemorando renouare.

Debemus hoc pietatis officium diuini Numinis prouidentiae, qua moderante factum est, ut Saxoniae, post Lutheri mortem intestinis Theologorum diffidiis misere distraetae, ut uniuersae Ecclesiae, tum temporis laboranti, totque malis pressae & tantum non oppressae tranquillitas, decus, pristina integritas firmamentumque conciliaretur. Debemus memoriae meritisque gloriosissimi & post hominum memoriam maximi prudentissimique Saxonum Principis, AVGVSTI, qui, pace Ecclesiae per formulam concordiae redintegranda, tantam sibi inuidiae tempestatem conflauit, tot uigilias exhausit, tot deuorauit molestias, tot incommoda subiit, tot sumtus impendit, ut, nisi ingratiſſima uideri uelit posteritas, non possit non beneficii publici, a benignissimi Electoris consiliis, prudentia, cura, pietate perfecti, magnitudinem sempiternae gloriae commendare.

Debemus sanctissimae nostrae religioni, cuius puritatem, quis est tam impius, tam sui suaeque salutis negligens, qui non uelit illibatam, integram, incorruptam, & ab omni errorum admittione liberatam conseruari? quis, qui non conseruatam esse, formula concordiae adiutrice, impense laetetur.

Quas gaudendi gratulandique causas dum cumulate adfert hic potissimum annus, quo memoriam saecularem tanti beneficii, per formulam concordiae diuinitus nobis nostraeque ecclesiae concessi, recolere par est piisque, partium mearum esse existimo, paucis & quam breuissime potero, enarrare, si ueniam dabitis, Auditores & ita enarrare, ut iuentutis scholasticae, cuius interest, praecipua huius historiae capita nosse, captui seruiatur, a quibus nempe ducta sit initiis formula Concordiae, quas conuersiones inde ab ortu suo, quae fata subierit, quibus diffensionibus fuerit impedita, & quo tandem successu uictrix discesserit ueritas, propugnaculis errorum disiectis, nefariisque aduersariorum consiliis conatibusque profligatis.

Semper

Semper sapientis est habitum, non modo nullas excitare lites, sed de iis quoque, cum excitate sunt, amice componendis cogitare. Tantum enim abest, ut turbis & diffidio salua stet respública & communiatur, ut potius, diffociatis ciuium animis, maximi imperii contextus in multas quasi partes diffiliat, ciuitatesque, subrutis fundamentis & perditis, labefactatae ruant, & omnis denique uitae societas communitasque disturbetur.

Quod ante oculos & in animo habuisse uidentur Principes, qui cum sexto & decimo saeculo Theologos intestinis diffidiis foedissime infestissimeque distrahi uiderent, cum religionem, nuper Lutheri ministerio a superstitionis sordibus repurgatam, tot opinionum commentis iniquius laceffi, multisque iactatam iniuriis impurissime tereterrimeque contaminari, premi, afflicti, quererentur, optabant non modo, ut esset discordiarum finis aliquando, & Theologi, pace conciliata, a diuturnis dissensionibus conuiescerent, uerum id sibi quoque negotii datum credebant, ut eorum, qui ueritatem depressam extinctamque cupiebant, rixandi lubidinem comprimerent, uim frangerent, impetum rerunderent, uertatisque decus consiliis, omni cura, & studio, & quacunque demum ui possent, asserent.

En ortum! en incunabula formulae concordiae.

Inde ab eo tempore, quo Lutherus supremum obierat diem, nescio quo fato, irriori certe, factum est, ut nonnulli Theologi in Germania, iidemque Augustanae confessioni addicti, incertum fastu & insolentia, an leuitate aliqua & ignorantia, opinionum monstra pestifero uelut partu excluderent, dissensionum uenena latius spargerent, turbis miscerent omnia, Lutheranae adeo ecclesia, secum ipsa discors, intestino, non modo inter doctores & doctores, sed inter doctores quoque & populum odio flagraret.

Non attingo, quantas excitarit tragoedias turbulentum Flacii ingenium, quem infausto sidere natum, mentisque turbine abreptum, eo processisse proteruitiae temeritatisque scimus, ut parum abesse uideretur, quin altercationibus, inter Flacianos & synergistas coortis, religionis, a Luthero in integritatem restitutae, fundamenta subuerterentur. Non commemorare laebet, quam late liticulae, quarum semina GEORGIUS MAIOR improuide sparserat, fuerint propagatae, nec attinet proferre controuersias, quas uocant, interimisticas, quibus, dici non potest, quantum ecclesiae Lutheranae, horrendum

dum quantum conturbatae! tranquillitas ceperit detrimenti. Quid dicam de OSIANDRI STANCARIQUE dissensionibus? Quid de AMSDORFII AGRICOLAEQUE conatibus, qui, si dicendum, quod res est, plus adferebant adiumenti ad impediendum ueritatis Euan-gelicae cursum, quam ad expediendam ecclesiae salutem.

Haec, & plura alia, quae, mortuo LVTHERO, ab ipsis profecta Theologis, irsque rixandi lubricitate correptis, religionem de sede sua & dignitate propemodum dimouerant, haec, inquam, latius nunc persequi, nec licet, nec, si liceret, lubet quidem.

Id unum, non possum, quin addam, quod recte addi & potest & debet, omnium funestissimos periculossimosque fuisse tum tem-poris motus, quos excitantur Crypto-Caluiniani, genus hominum callidum, subdolum, & ad fraudem insidiasque religioni Lutheranae fruendas mirifice instructum. Qui, intempestiua MELANCH-THONIS lenitate assentiendique facilitate inducti, quid non moliti sunt in Saxonia? Quam repente, quam nefarie ciuilibus fluctibus in-uoluerunt Ecclesiae Lutheranae nauiculam? Quas tragoedias excita-runt? Quanta animi contentione id agebant, ut clanculum & cu-niculis uelut actis, religionis purioris fundamenta labefactarent, con-uellerent, conuulsaque praecipiti lapsu diruerent.

In tanta rerum perturbatione, tot inter discrimina, qui rei-publicae praerant, moderatores non in otio sibi sedendum, non indulgendo pereundum sibi, pereundum populo existimabant, sed crypto-caluinianae coniurationis globum disiiciendum arbitrati, tan-tam uim adhibuisse leguntur ad ecclesiam ex exitii ore faucibusque eripiendam, quantam adliberi par est ad commune incendium ex-tinguendum.

Consilio, non impetu, deliberationibus ultro citroque habitis, non praepropera & inconsulta festinatione ad lites consopandas unitis uiribus principes aggressi, iusserunt Theologos cordatiores, in societatem consilii assumptos, ut, quicquid haberent ingenii fa-cultatisque, quicquid uirium neruorumque, id omne adferrent ad monstrum Crypto-Caluinianismi expugnandum, motus sedandos, tranquillitatem restaurandam, pacem stabiliendam.

De tanti re momenti auspiciis principum conuenerant iterum iterumque, sed, omissa re irrita, iterum iterumque discesserunt, cum ob impedimenta, quibus tollendis ob clandestinas Crypto-Caluinia-norum

norum machinationes, nec praestantissimorum Theologorum, ANDREAE CHYTRAEI, CHEMNITII, scientia, nec ipsius AVGVSTI, auctoritas & prudentia suffecerat, tum ob leuidenses offensiuinculas, quae, ut fit, inciderant, suspicione partiumque studio corroboratas. Quae obstacula, ex transverso obiecta, quamquam erant eiusmodi, ut cuiusuis alius animum frangere potuissent & debilitare, AVGVSTVS tamen, qua erat inuicta animi ui ac robore, non hastam abiicere, non animum despoudere, non spem pacis redintegrandae proicere, fretus diuina prouidentia, sola consiliorum rerumque omnium humanarum moderatrice.

Hac adiubernante factum est, ut in conuentu Torgauensi, iussu & auctoritate Principis Electoris AVGVSTI indicto, sublatis impedimentis, difficultatibusque fere omnibus superatis, bona causa denique triumpharet, consiliaque de pace redintegrandae ad exitus perueherentur exoptatissimos. Theologorum, qui ex diuersis terris urbibusque congregati, Torgauiam uenerant, animi consociantur, sine dissensionum studiis sententiam dicunt, communibusque statuunt suffragiis, scriptum quoddam esse ad ornandum, in quo doctrinae controuersae capita perspicuntur, errores confutentur, & ut quaeque uerissima sint, ueris argumentis communiantur. Conficitur scriptum, praelegitur, secuta ex omni multitudine consentiens uox, idque ipsum est, quod formulae concordiae nomine fuit insignitum.

Quae in concilio coetueque Theologorum Torgauensi acta erant, perferuntur oppido ad AVGVSTVM Electorem Saxoniae, scriptum ei traditur, eo consilio, ut Electorum reliquorum, principum & ordinum, Augustanae confessioni addictorum, sententias de eo exquireret. Iudicio item & censurae exterorum Theologorum subicitur. Mittitur libellus ad ducem Brufuicensem, ad Guilielmum Landgrauium Hassiae, adiunctis Electoris litteris, ut, quid in eo desideraretur, perciperet. Mittitur ad Theologos Hassiacos Hofatosque, alios, quorum plerisque, nisi Crypto-Caluinianismi suspectis, mirifice probatur.

Quod uero omnibus, qui recentius ingenii partu exclusi sunt, libris accidit, ut, cum non omni ex parte perfecti sint expolitique factis, lima indigeant, corriganturque alia, alia expungantur, interpolentur alia, aliaque immutatis sententiis dictionibusque substituantur, idem

19 6707 68

idem formulae concordiae, in conuentu Torgauiensi communi consensu concinnatae, euenisse accepimus. Diligentius expendenda nonnulla, de aliis deliberandum amplius, censurae, ab Theologis transmissae, perlustrandae, examinandae, ut, quae refecanda fuerant, non ad totius ecclesiae perniciem manere paterentur.

Cui negotio feliciter perficiendo institutus est conuentus in coenobio Bergensi prope Magdeburgum, in quo res eo denique rediit, ut formula haec, correctione & ultima lima ante adhibita, publicae exposita luci, a plurimis imperii Romano-Germanici statibus, Electoribus, principibus, comitibus, ciuitatibus imperialibus, uerbi diuini ministris ac scholarum moderatoribus reciperetur, subscriptis nominibus, approbaretur, typisque ante hos ducentos annos excusa, symbolicam obtineret auctoritatem.

Quam gloriam quamuis praestantissimo huic pacificoque scripto non modo non inuideat, sed intemeratam quoque perpetuamque seruari cupiat optimus quisque, nunquam tamen cum genere humano tam bene agitur, ut meliora pluribus semper placeant. Quis nescit, reformatos omni tempore, Philippicaeque doctrinae sectatores pestiferum uirus acerbitat^{is} euomuisse? Quem fugit, inter ipsos Lutheranos fuisse & esse etiam nunc, qui tam tenuiter sinistrique de hoc libello iudicant, ut eum, negent, inter libros symbolicos recipiendum esse.

Inprimis uero in Dania, quod mireris, formula concordiae acerbissima experta fuisse fata dicitur. FRIDERICVM II. Danorum regem, illam a sore re sua, AVGVSTI Electoris Saxoniae coniuge sibi transmissam in ignem coniecisse, nonnulli scriptores narrant, quod quidem alii inter fabulas commentaque, inuidiosius excogitata, referendum esse arbitrantur. Quicquid huius tandem sit, nos certe non committendum putabimus, ut usque adeo ingrati in sanctissimam religionem, in Maiorum merita, in AVGVSTI, ueritatis pie inuiolataeque seruandae studiosissimi, cineres uideri uelimus, ut formulam concordiae non tanti faciamus, quanti, conuenit, tantum tamque praestabile beneficium aestumari. *Serva nos, Domine in ueritate, uerbum tuum est ueritas.*



X.C.

n-
r-
s-
n

n
e-
i-
e-
i-
is
a,

o
r-
no
it,
i-
er
ii-
os


r-
m
ge
nt,
ca-
os
in
ri-
is,
n-
ne

ULB Halle

3

006 213 12X





QX.210.19

AD

ORATIONES
SYLVERSTAINIANAS

QV AS

MECVM TRES BENEFICENTIAE SYLVERSTAINIANAE
ALVMNI

IO. SAMVEL CONRAD, GORL.

IO. CHRISTIAN FRANCKE, SILES.

GEORGE SIEGEMVND LÜBICH, SILES.

D, XVIII. MAI. MDCCC. LXXXI. HOR. IX. MAT,
HABEBVNT,

AVDIENDAS

PATRONOS ET FAVTORES GYMNASII

INVITAT

M. FR. CHR. BAVMEISTERVS, R.



GORLICII,

EX OFFICINA FICKELSCHERERIANA.